

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

52. Menstruum Neapolitanum Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

X. GENUS.

*Menstrua vegetabilia composita ex men-
struis vegetabilibus compositis &
corporibus metallicis.*

52. Menstruum Neapolitanum Lullii,
In Exper. XIII.

R. **L** Unam, & cum argento vivo vulgi calcinabis, scilicet amalgamando, ac postea ipsum amalgamam triturando cum sale communi preparato, mox ipsum mercurium exhalare facias lenissimo igne, deinde fervente aqua destillata salem ipsum removeto, & sic lunam calcinatam habebis. R. Lunam calcinatam, & quatuor partes aquae mercurialis (*per tria vasa ignita superius sub No. 46. descripta*) illi superfunde, & vas clausum cum suo antenotario statue super cineres, ut leviter bulliat, & videbis viridem colorem sive caeruleum, quem liquorem cautè in aliud vas transfunde, ita ut faeces non conturbentur, materiam in fundo remanentem desiccabis igne lento, adinstar solis. Postea scias pondus dictae calcis, ac illi iterum superfunde quatuor partes dictae aquae mercurialis super unam partem calcis, & clauso, ut prius, vase cum antenotario suo, sine ut iterum bulliat, quod inde dissolutum fuerit, ut supra, in aliud vas transfunde ac conjunge cum dissolutione prima. Illud tamen adverte, ut dictam materiam dissolutam semper in balneo conserves, donec totum opus dissolutionis absolutum fuerit; iterando toties magisterium, donec totum lunare corpus fuerit plenè dissolutum ac transactum, quod quidem nobis accidit intra duas vices, ac in putrefactione per quatuordecim dies constitue. Deinde transferas in urinale, conjunctum pariter cum suo recipiente & alembico,

bico, juncturis quàm optimè clausis. Postea destillabis in furno cinerum; tum ignem augebis, ut corporis anima in sua aqua impressionem faciat. Frigefacto vase, scias pondus terræ lunaris in fundo remanentis, nam credo non amplius quàm duabus octavis (*drachmis*) de corpore non soluto remansurum ex tota uncia, reliquum erit perfectè dissolutum. Quod si plus remanserit de terra insoluta, tunc super infunde tantum de sua aqua nuper destillata, quantum superemineat tribus digitis, & clauso vase cum antenotorio, pone in balneum per diem naturalem, mox amoto antenotorio & superposito alembico cum recipiente optimè clauso per cineres destillato, in fine destillationis augendo ignem, ut supra. Hoc autem iterabis, quousque per aëream revolutionem totum corpus lunare per alembicum transmittatur, atque hoc pacto, auxilio Dei habebis menstruum, quo solem potes dissolvere.

Annotationes.

HActenus argento vivo acimus vel spiritum vini philosophici vel menstrua hoc spiritu confecta, quæ tantam inde acquisiverunt dissolvendi facultatem, ut Adeptorum plurimi hisce aquis mercurialibus contenti, de fortioribus menstruis desierint inquirere. Ipse Lullius aquam mercurialem, quam gloriosam vocat, ad conficiendum mercurium philosophorum ex omnibus metallis & mineralibus, sive sal harmoniacum metallorum, sufficiens dixit, imò appropriatum menstruum. Scias, inquit, fili in veritate & Dei fide, quòd nullum naturæ sulphur alicujus metalli sublimaretur abique ista aqua argenti vivi vulgi. *Test. Noviss. pag. 12.*

Verum-enim-verò in hoc decimo menstruorum genere alia adhuc composuere menstrua adepti, prædictis aquis mercurialibus varia insuper addentes corpora, juxta varios usus & illorum placita. Lullius ut nobilius pro dissolutione auri componeret menstruum, menstruo mercuriali addidit argentum. Si fortè menstruo indigebat pro perlis, perlas cum menstruo mercuriali conjunxit. Si conficere aurum potabile vellet, ex auro & argento præparavit menstruum ad hoc magis adequatum, mediante tamen menstruo quodam mercuriali, & sic de aliis; uti in sequentibus observabimus exemplis.